

2223

SYNODICI.

2224

probat ab illo ibidem habitus in *Job. 10. Bonus Pastor &c.* qui in *Edit. col. 542.* praecedit. En quantum *Gersonianorum* cum hoc, tum tot aliis Codicibus a me relatis vel *Vindobonae* reperissent Editores *Amstelodamenses.*

DCCCCXXXV.

U. 218

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 479. 4. una per totum manu scriptus, et rubricis distinctus in anteriore Theca haec praefert: *Anno domini 48. propter Deum cum consilio magistri Urbani plebani in Stain,* quae verba cum etiam *Commentarius in Ecclesiasticum* a *M. Paulo de Mellico* Collegio Ducali *Vien.* legatus et hoc *Vol.* recensitus praeferat, dubium non est, praesentem quoque Codicem ejus donum esse. Continet vero ille *Sermones in Concilio Constantiensi* habitos. Indicavit ejusmodi *Συλλογὴν* e *Cod. Kraftiano* *Sermonum* XLI. inclitus *Schelbornius Amoenit. lit. T. III.* alteram e *Cod. Blavifontano* *Sermonum* XXVIII. T. XI. Nos *Vol. I. P. 3.* inter *Synodicos* fimilem dedimus *Sermonum* XXXI. Ast hic, quem volvimus, praegnantior ad numerum LVII. praeter *Fragmenta* quaedam adscendit. Eorum porro, vocatis in consilium praedictis Codicibus, feriem dabo, illis obiter perstrictis, de quibus jam *Codice cit.* egi.

○ Praevio Indice Thematum textualium *fol. 2. Sermo M. Petri de Pulka. Hij sunt viri misericordie &c.*

Fol. 18. Sermo M. Stephani (Palecz) de Praga sacre theologie professoris. Resistite fortes in fide &c.

Fol. 31. p. 2. Sermo M. Mauricii de Praga sacre theologie professoris. Dom. VII. post Pentec. Attendite a falsis prophetis &c.

Fol. 42. p. 2. Ejusdem Sermo. Dom. 15. Hec vidua erat &c.

Fol. 49. p. 2. Sermo pulcher predicatus in Concilio Constant. anno domini MCCCCXVI. Fratres libenter suffertis insipientes &c. Excerptum e Cod. Kraft. dedit Schelbornius p. 50. Ibi Autor praescribitur M. H. V. de quo nil divino.

Fol. 61. Sermo bonus de assumptione beate virginis pronuntiatum in constantia. Maria optimam partem elegit &c. Incipit: Beatus Bernardus in quodam sermone de hac festinitate dicit: Fateor impericium meam &c. et totus in Virginis laude absumitur.

Fol. 71. p. 2. Sermo factus in synodo Constan. die XV. septembr. Obsecro vos, sitis in caritate radicati &c. Habetur in Cod. Blavifont. pariter ἀδεσποτος.

Fol. 79. p. 2. Sine inscriptione: Ite et vos in vineam meam &c. Est Theodorici de Monasterio. Ad calcem: predicatus in concilio constan. in LXX.

Fol. 89. Sine inscriptione: Omnis qui se exaltat, humiliabitur &c. Incipit: Symon de Cassia lib. VI. post medium de vita christiana exponens predictum passum sic inquit: Exaltacio a se ipso ad casum fit &c. et enumeratis Superbiae

biae damnis, et Humilitatis commodis in D. Bernardi laudes excurrit. Unde et ad calcem dicitur *predicatus in constantia ad laudem dei et sancti Bernardi.*

Fol. 97. Sine inscriptione: *Mittam vobis frumentum vinum et oleum &c.* Incipit: *Pater misericordiarum et deus tocius consolationis &c.* Paneggricus D. Thome. Unde et ad calcem dicitur *predicatus in constantia ad honorem dei et sancti thome Carthinensis* (an Cantuariensis? Sed Aquinas est) *doctoris eximij.*

Fol. 101. p. 2. Sine inscriptione: *Egredietur virga de radice yesse &c.* Incipit: *Focunda festiuitas et suavis est ista, in qua nobis ad memoriam reducitur &c.* Totus agit de laudibus B. V. Unde subscribitur *predicatus constantie de natiuitate gloriose virginis marie.*

Fol. 111. p. 2. Sine inscriptione: *Hic est Johannes &c.* Incipit: *Attestante veritatis excellentia difficillimorum operum ostentatio &c.* Laudatio, nihil de rebus Concilii adtingens. Unde ad calcem: *Predicatus in constantia de sancto Johanne ewangelista.*

Fol. 118. Sine inscriptione: *Adducentur regi virgines &c.* Incipit: *Quoniam prima mater nostra ewa excecauit mentis indaginem &c.* Laus Virginitatis, exprobratio malorum morum, etiam in Clero, commendatio Urbis Coloniensis; nam dicitur in calce *habitus de virginibus, de sancta uersula et eius sodalibus.*

Fol. 122. p. 2. Sine inscriptione: *Consurget virga de israel &c.* Incipit: *Sanctissime virginis ac matris Domini omnium saluatoris, cuius conceptionis diem &c.* Copiose et docte controuersiam de immaculato Conceptu *περὸ βλαπτίμως* quidem explicat; propendet tamen in adfirmationem. Inter alia: *Si pars illa manifeste foret erronea, nunquam permisisset ecclesia tot annis eam publice predicari, et maxime in loco, ubi sunt papa cum cardinalibus, quos quondam dominos Cardinales plures vidi sollempniter interesse missarum sollempnijs et sermoni, quando festum conceptionis agebatur. Nunquam eciam venerabilis Vniuersitas Parisiensis — sustinisset, quod illius partis posicio singulis annis — fuisset in sermone Vniuersitatis ad clerum publice docmatizata. Ad calcem: Finis sermonis de conceptione beate virginis marie.*

Fol. 136. e calce: *Sermo conceptionis incarnati filij dei creatoris. Nempe in Festo Annuntiationis. Quomodo fiet istud. Incipit: Consideremus, si bodie omnium mentes grandescunt ymaginibus rerum celestium &c.* Totus in expendendo Mysterio.

Fol. 139. p. 2. e calce: *Sermo de sancta trinitate et maxime de cognitione vnius dei. Non est similis tui in dijs domine. Incipit: Si plebs fidelis alias festiue commemorat deum patrem in festo temporalis natiuitatis filij &c.* Sermo profundus et egregius, sed res Concilii non adtingit.

Fol.

*Fol. 153. p. 2. e calce. Sermo de natiuitate beate virginis marie. Ipse fundauit eam altissimus. Incipit: Magne utique et gloriose festiuitatis diem primordia humane salutis recolentem &c. To fundauit occasionem Oratori praeberet digrediendi ad Fundationes et pi-
as Caussas, ubi acriter inter alia: Hoc cogor dicere karissimi, quia, ut rerum constat testimonio, non solum nihil notabile fundant, ut olim ad sanctorum uenerationem, sed defundant et euertunt ad eorum dampnationem illa, que sollempniter a predecessoribus gloriosis perutiliter fundata fuerunt ad honorem dei et sanctorum. Esse quidem Principes et Ecclesiae Praefides pie et religiose cogitantes. Sed quid? statim accedunt filij belial, pseudo consiliarij, satellites dyaboli, siue auaricie et ambitioni serui-
entes et obsistunt &c. Alias prolixè in Astrologiam inuehitur; Mariam uero ab originaria labe praeferuatam non semel adferit.*

Fol. 173. e calce: Sermo proxima Dominica post conductum Pasce. Id est Dom. II. post Pascha; Dominicam enim in Albis mos erat adpellare Clausum, siue Conductum Paschatis, et Conductum fortasse quidem a Nundinis, nobis Ostermesse. Ego sum pastor bonus &c. Incipit: Bonus pastor cognoscitur a pinguedine pecoris &c. Multa opportuna de officio Pastorum. Ita ad locum: Vos ipsi vidistis, quomodo portauerim vos super alas aquilarum. Exod 19. Timendum est, ne quidam eorum (Pastorum) sint struciones, qui ha-
Denis Codd. Theol. V. II. P. III

bent pennas regales longas et laticas, sed non volant a terra; ita quidam habent prebendas, dignitates et scientiam, et tamen semper occupantur in terrenis. Quidam ut Bubones, qui diligunt ecclesiam propter oleum, unde extinguunt lumen et oleum consumunt; ita quidam ecclesiastici lumen conscientie extinguunt et pinguedinem ecclesiasticorum bonorum consumunt. Quidam ut Vultures, qui pullos in summa macie custodiunt; ita quidam parochianos et colonos suos in summa paupertate detinent &c. Varia item de Lupis.

Fol. 181. Sermo Episcopi Laudensis de sancto Augustino. Est is Jacobus Arigonius de Balardis O. P. e celeberrimis Constantiae oratoribus. Thema: Quasi sol refulgens &c. sed initium: Beatissimi Presulis et Doctoris eximij sanctissimi Augustini uotiuu solempnia &c. Adplicantur ei Solis proprietates. Sermo Quetiso et Echardo ignotus.

Fol. 187. Sermo fratris Mathei de aula regia predicatus dominica 4. post trinitatis. Estote misericordes &c.

Fol. 196. p. 2. Sermo in cena Domini. Mandatum nouum dedi uobis &c. Incipit: O homo ecce tue forme siue discipline regula &c. Atque haec Apostrophe toto Ser-mone continuatur, cui Παῖος non deest.

Fol. 200. p. 2. Collatio prima. Probet autem seipsum homo &c. Incipit: Dominus noster ihesus christus gubernator ac rector totius orbis &c. De Sacramento
Eucha-

Eucharistiae, *cujus, ut ait, festum papa Johannes (l. Urbanus IV.) propter reuelacionem quibusdam catholicis factam — celebrari statuit post octauam pentecostes proxima feria quinta. Conqueritur de quibusdam Sacerdotibus, qui Virginis filium illotis conscientie manibus sic offerunt, quemadmodum carnifices (Laniones) qui cruentis manibus carnes agnelli in macello vendunt &c.*

Fol. 212. Secunda collatio. Hoc est corpus meum &c. Incipit: Hugo in libro de sacramentis de gloriosissimi sacramenti corporis christi institutione tractans &c. Infra Octavam, ut sequens, habita videtur, et in explicando Dogmate infumitur.

Fol. 217. p. 2. Collatio tertia. Ego sum panis viuus &c. Incipit: Cupientem me immaculate legis et casta domini tractare eloquia terrent non immerito &c. Tria pertractantur: Sacramenti veritas, Manducantis utilitas, et Mysterii dignitas, non tamen sine variis diverticulis. Illud mirum, nihil in III. his Collationibus occurrere de Communionem sub Utraque.

Fol. 228. in calce: Sermo finitus in concilio dominica 3. post pascha Anno MCCCCXVI. Plorabit et flebitis vos &c. Est Bernb. Baptisati O. S. B.

Fol. 235. p. 2. in calce: Finis Sermonis dominica 2. XLe. anno XVI. Faciamus hic tria tabernacula &c. Est Alexii O. M. Ep. Placentini.

Fol. 241. in calce: Sermo domini Andree electi poznaniensis in constantia. Fiat pax in virtute tua &c. Incipit: Verba ante premissa pro themate sunt eximij prophete dauid &c. Andreas is est Lascaris aliis e Concilio Sermonibus notus. Vide Labb. Collect. T. XVI. Praesentem ad recens electum Martinum V. habuit spes suas et Regis sui de futura Ecclesiae pace et Schismatis exterminatione explicans, ut sub finem: quod deuote et religiose considerans Dominus Rex Polonie (Jagello seu Uladislavus V.) et V. (Witoldus seu Alexander) magnus Dux litwagie (sic) — arma, que validissimis exercitibus pro sua defensione tunc mouerat, pro sedis apostolice reuerentia, licet non sine graui dispendio utrique parando disposuit (seposuit?) et gladium, quem aduersus dominos cruciferos de prussia vibratum tenuerat, conuertit in vaginam &c.

Fol. 244. in calce: Sermo die XV. septembris anno domini XVI. Obsecro vos sitis in caritate radicati &c. Jam fol. 71. indicatus.

Fol. 252. in calce: Sermo in festo sancti Michaelis. Gratia vobis et pax &c. Est Job. Zachariae O. Erem. Aug. ut etiam Codex Blavifont. consonat, sed in Cod. Krafft. unde Excerptum dedit Schelhornius, tributus est Bernb. Baptisato O. S. B.

Fol. 261. Sermo factus in exequijs Cardinalis Baren. (Landulphi de Maromaldis) ab episcopo laudensi (Jacobus noto) anno &c. XV.

Fol.

Fol. 265. in calce dicitur *Quedam Recommendatio.* Et re ipsa finem versus legitur: *In hijs pulcherrimis scientijs isti venerabiles Baccularii laborarunt — adeo quod per rigorosum examen publicum et privatum digni inuenti sunt, quatenus in gradu collocentur altiori &c.* Unde nescio, quomodo haec Oratio locum inter Sermones Conciliares invenerit. Ejus Thema et initium: *Gloria autem bonor et pax omni operanti bonum. Rom. 2. Quamquam humanum genus per preuaricationem &c.* Argumentum vero de diverso genere Laborum.

Fol. 269. p. 2. Sermo, ut in calce, factus per Cancellarium Parisien. Nempe *Job. Gersonii* ille: *Prosperum iter faciat nobis &c.*

Fol. 276. Ejusdem ille: *Obsecro vos tamquam aduenas &c.* anno XV. ut in calce dicitur.

Fol. 281. Exordium cujusdam Sermonis ad Pontificem et Synodum in illud: *Dissipa colligationes impietatis &c.* Incipit: *Beatissime — parumque rogo aduertite &c.*

Fol. eod. p. 2. *Quedam Notabilia de beata virgine.* Ineunt: *In ista materia doctor deducit talem conclusionem, quod maria ex maternitate ad filium dei maiori propinquitate coniuncta est patri in diuinis &c.* Subtilitates hae in verum Sermonem de *Assumptione B. V.* defleunt, qui adeo non nisi exordio truncatus fuisse videtur.

Fol. 302. Sermo Domini Cancellarij Parisien. factus in festo na-

tiuitatis marie. Videlicet *Gersonii* ille: *Jacob genuit Joseph &c.*

Fol. 314. *Dominica XII. post. Pent. Notabile.* Est excerptum e Sermone Anonymi: *Cur am illius habe &c.* quem *Cod. cit.* retuli.

Fol. 315. Sermo *R^{mi}* patris et domini domini *Sarisburiensis Episcopi* (*Rob. Halam*) de *Anglia dominica septuagesime predicatus.* *Erunt Signa in sole &c.*

Fol. 326. Sermo *Bernhardi Baptizati Abbatis O. S. B.* in *Constantia dominica XI. post pentec.* *Duo homines ascenderunt &c.*

Fol. 333. p. 2. Sermo de *Anno Jubileo.* et ad calcem: *factus per magistrum theodricum de Monasterio in XL. Dom. 3. Sanctificabis annum quinquagesimum &c.* Incipit: *Domini mei Reuerendi. Ex dictis sanctorum colligo et uideatur, quod gratia est auxilium diuinum &c.* Nihil videtur pertinere ad Concilium. Placet ingenuitas Autoris sub finem: *Eius enim gratia sum id, quod sum videlicet quinquagenarius in ordine et XL. IX. anno etatis. Et praecipue ago Deo (gratias) quod sua gratuita gratia etsi non coram se — saltem aput homines ad plenam etatem sine nota mali euidentis gratiose me perduxit &c.*

Fol. 338. Sine omni nota Sermo in illud: *Si ueritatem dico, quare non creditis mihi &c.* Incipit: *Quae uideo omnimodam insufficientiam meam ad loquendum verbum veritatis &c.* *Habitus lugubri tempore, quo sancta mater ecclesia luctuose commemorat humilli-*

mi sui redemptoris et sponsi passionis opprobria, itaque Dom. Passionis, quod et Thema Job. 8. indicat, de Ecclesia per Concilium reformanda tractat.

Fol. 345. Sine omni nota Sermo in illud: *Filius noster iste proteruus et contumax est* &c. Hunc quidem frustra quaeres *Constantiae*. Avenione habitus est in Confessorio a *Clemente VI.* a. 1345. in citatione *Henrici de Virnenburg* Archiep. *Moguntini*, qui *Ludovici Bav.* Imp. partes tuebatur. Feci mentionem tanquam e *Codice* evulsi *Vol. I. P. 3.* inter *Codices Homileticos*. Hic falsus est, et incipit: *Moses in dicto capitulo* (Deut. 21) *dat vnam legem, que est talis ad literam* &c. Inter alia: *Modo carissimi predecessores nostri et nos, et ista sancta mater ecclesia vnum filium genuit Henricum Archiepiscopum Maguntinensem, et non solum genuit, ymo fouit, ymo indulgencius educauit, ymo ad vnam de sollempnioribus in ecclesijs sublimiter exaltauit. Sed iste filius proteruus et contumax patris et matris contempsit Imperium, ymo eciam contra patrem et matrem conspirauit inimico et hosti ecclesie adherendo.* Item: *Quomodo per dominum Johannem (XXII.) promotus ad Archiepiscopatum fuit et in partibus consecratus, et ei pallium misit, quomodo cum contra eum grauissima crimina per Capitulum proponerentur, audire renuit, quomodo eciam graues processus contra illos, qui castra episcopatus detinebant,*

fecit in fauorem ipsius. Quomodo dominus Benedictus (XII.) processus continuando etiam nuncios ad personas illas misit, per quorum ministerium possessionem Archiepiscopatus accepit. Ecce quanta beneficia &c. Item: *Post tanta suscepta beneficia statim adhesit bauaro de heresi et scismate condempnato &c.* *Baluzius* novit hunc *Sermonem*, novit et *Schelhornius* e *Cod. Blavifont.* eumque perperam ad *Martinum V.* et *Johannem Mogunt.* transtulit; mirum tamen est, neminem haecenus de colligendis et edendis omnibus *Clementis VI.* *Homileticis* cogitationem suscepisse.

Fol. 350. p. 2. fine inscriptione Sermo: *Mundamini, qui fertis vasa Domini* &c. Incipit a verbis Apostoli: *Obsecro vos Fratres ego vincus in Domino* &c. quae ait haberi in *Epistola dominice currentis*, unde Sermo ad Dom. XVII. post Pentec. pertinet. Excerptum inde dedit e *Cod. Krafft. Schelhornius.*

Fol. 358. p. 2. Sermo domini *Cardinalis camaracen. in die omnium sanctorum.* Signum magnum apparuit &c.

Fol. 370. Sermo per *Reuerendum in christo patrem et dominum dominum Jacobum (Arigonium O. P.) Episcopum Laudensem ipso die beati thome episcopi Cantuarien.* Bonus pastor animam suam dat &c. Incipit: *Ut sacri pastoris dignas laudes referam* &c. Pariter *Quetifo* et *Echardo* ignotus *Thomam* ut mirabiliter *virtuosum, salubri-*

lubriter gloriosum et fideliter fructuosum proponit, doletque Praefules esse, qui ab ejus exemplo desciscunt, qui cum de grege et sarcina agitur, brachia subtrahunt, et a cura pastorum se omnino subducunt, laborem effugiunt — lac et fetus perquirunt, et gregem varijs periculis et incurisibus relinquere non verentur, et ubi debuerunt esse solliciti praefules, loco illorum president desides seculares. Timeo ne in lupos sint tales mutati pastores, dum emungere satagunt, non protegere, tondere oves, non defendere, ecclesias negligere et fructus colligere &c.

Fol. 378. Sermo factus per R. magistrum petrum de bruxellis ipso die annuntiationis beate marie virginis. Aliam Viri hujus Orationem vulgavit Herm. v. de Hardt T. I. Conc. Const. P. 17. p. 855. Nostra Thema habet: Ecce Virgo concipiet &c. In Cod. Blavifont. est ἀνωμνος. Incipit: Excedit multumque supereminet humani colloquij facultatem &c. multumque in corruptos Cleri mores invehitur, quin et Prophetam induit: Destructio studiorum, quam concomitatur penuria sapientum, et hanc sequebatur destructio grecorum; prelatio puerorum et ignorantium ac prauorum hoc erit destructio latinorum &c.

Fol. 387. p. 2. Sermo factus per Magistrum Richardum (Fleming) Doctorem Oxonien. Surge, illuminare iberusalem &c. Habitus in die Epiphaniae, ut jam retuli hoc Vol. inter Codices Polemicos.

Fol. 398. Sermo factus exhortationis pro defuncto. Non pertinet ad Concilium. In quadam Synodo Dioecesana, nescio quis, karissimos Fratres adloquitur, eisque Sacerdotum officia graviter inculcat. Thema est: Dispone domui tue &c. Initium: Ad eligendum ex premisis verba aliqua, que sunt ad laudem &c. Dixi alibi perperam habitum pro Parentatione Card. Barenfis.

Fol. 406. Collatio Episcopi Laudensis. Saepe dicti in condemnatione Job. Hussi, in illud: Destruatur corpus peccati &c. multoties relata.

Fol. 408. p. 2. Collatio facta super condemnatione Jeronimi de praga Episcopi Laudensis. In illud: Exprobrauit incredulitatem eorum &c. et ipsa non semel relata.

Fol. 413. Sermo episcopi Laudensis. Incipit: Quanquam noua, que in presenciarum prestantissimi domini et patres orthodoxi estis audituri, visa sunt prima facie aut parte ex vna multum lugubria &c. Annuntiat mortem Ferdinandi Aragoniae Regis (1416. 2. Apr.) et in ejus laudes breviter excurret. Inter alia: Quatuor carissima habuit Deum animam ecclesiam et filium, vnde sicut animam Deo tradidit, sic inchoatam ecclesie unio-nem perficiendam filio suo primogenito (Alphonso) instantissime imparavit &c. Adlocutionem hanc Quetifo ignoratam comperta primum Regis morte in Sessione vel Congregatione habitam mihi persuadeo; sequitur enim

Fol. 415. Sermo Laudan. episcopi. Atque is habitus fuit in solennibus Regis Exequiis celebratis in Templo cathedrali *Constantiae 1416. 30. Apr.* ut *Acta Hardt. T. IV. p. 714.* et *T. XVI. Labb. col. 385.* testantur. Init: *Rex vero letabitur in Deo. Ps. 42. Rev^m.* — *Indefinenter vberimos in stertus prorumpere et lacrimas effundere incessanter certissime existimassem &c.* Ineditum censuit *Quetifus T. I. col. 784.* sed habes illum *T. cit. Labb. col. 1343.* non tamen *Jacobo* nostro, sed *Antonio* Generali Ord. S. Mariae de Mercede *Ferdinandi* ad Concilium *Ambasiatori* inscriptum e *Cod. Lips.* *Antonium* hunc eadem Exequiarum die Sermonem habuisse *Acta cit.* adfirmant. Verum in toto Sermonem nostro ne quidem vestigium deprehendas, Autorem aut Regi *Arragoniae* subditum, aut ab eo missum fuisse. Ex altera parte ajunt *Acta*, *Jacobum* in Sermonem suo egisse de approbatione Capitulum inter Defunctum et *Sigismundum* Imp. *Perpiniani* initorum per *Alphonsum* Filium et Successorem facta, de qua nihil in nostro. Tertio igitur quodam Sermonem detegendo opus erit, ut lis inter *Codicem Lips.* et *Vindob.* dijudicari queat.

Fol. 419. p. 2. Sermo magistri Henrici Aleudensis studij Oxonien. Legendum puto *Abindonensis.* Inter tot misere deformata Nomina Personarum, quae Concilio adfuerunt, quibusque nec ab *Labbeo*, nec ab *Hardtio*, aut *Coletto* ulla impensa est opera, com-

paret etiam *Henricus de Abundensi, Abunden, Abendon, Abindon, Academia Oxon.* Ablegatus, de quo *Tannerus* in *Bibl, Brit, Hib.* inter alia refert, Vindicem fuisse Nationis suae contra *Gallos* et *Hispanos* in Concilio, unde Scripti fortassis Autor, quod *Hardtius T. V. P. I. col. 76.* dedit. De Sermonem autem nostro, quem non alteri tribuendum censeo, filetur. Thema ejus est. *Sitis repleti fructu iusticie. Ad Philip. 1.* Quam cum Epistolam presentis dominice vocet Orator, Sermo habitus est *Dom. XXII. post Pentec.* Init vero: *Celestis agricola dominus ihesus christus veniens in mundum &c.* et praemissa honorifica *Sigismundi* Imp. mentione Clerum acriter admonet officii. Ita de visitantibus Praebendas suas, *quando dies venerunt autumpnales et borrea sunt impleta*, ait: *Sed ecce repletis loculis abeunt longe ab ecclesijs, quandoque usque ad atrium summi pontificis, sed sacculos pecunie non omittunt, quin ipsos secum afferunt, quos postea voluptuose expendunt, aut quod malum est, in corbonam, aut quod peius est, in bancum, ubi suam iniquitatis mamonomam cum maledictione multiplicant per usuram, ex qua procedit illud negocium perambulans in tenebris, quo mercatores in domo symonis perquirunt sibi ipsis in mala hora plura beneficia pinguiora, et ex tunc surdi fiunt atque ceci, ut neque intelligant, neque audiant illud sanctum proverbum, quod dicitur: Quia non vnus sed plures in beneficijs, non vnus sed plures*
in

in supplicijs &c. In *Hardtii Praef.* T. V. p. 24. prave *Hotricus* pro *Henrico*.

Fol. 427. p. 2. *Sermo factus post recessum olim Iohannis pape.* Potius post illum Mense *Majo* 1415. Concilio redditum; quaerit enim Orator: *Cuius enim putas robur aut potencia fuerat, que olim iohannem papam post eius turpem fugam ad manus sacrosancti reduxit concilij?* Et iterum: *Quis precor ymaginari potuisset, Iohannis summum principatum tam inopinate tam scandalose tam viliter euacuari, Gregorij vero (sponte Papatu cedentis) statum in melius, si dicere libeat, et cum honore commutari?* Thema: *Sufficiencia nostra ex Deo est &c.* Initium: *Siue enim teste philosophorum principe nusquam perfecte scitur conclusio, nisi in ipsa resoluantur principia &c.* Dixit in eundem eventum *Iob. Gerson*, sed tertia mox post fugam die, ut habes *Labb. T. XVI. col. 1311.*

Fol. 430. *Notabile Fragmentum ulterius illius Sermonis, cuius Exordium dedimus fol. 281. Dissipa colligationes &c.*

Fol. 431. p. 2. *Sermo magistri Mauricij de praga. Habeo vobis dicere &c.* ut *Labb. T. cit. col. 1375.*

Fol. 439. *Sermo magistri Tithedrici. Puto Theodoricum de Monasterio Univ. Colon.* Oratorem faepe auditum in Concilio. Praeter adlata a nobis video Sermonum unum et Excerpta alterius edita ab *Herm. Hardtio* in *Hist. lit. Reformat.* quae ad manum non

est, Excerpta item alterius, cuius Thema: *Ite et vos in vineam meam &c.* T. V. *Athor. Conc. in Prolegom.* p. 23. Praefens in illud: *Vade in domum tuam. Math. 8.* incipit: *Creator et gubernator totius creature deus summa bonitate plenus &c.* et ipse reformationem strenue urget. Ita occasione *Amalech* i. e. *populi lambentis* ait: *Vnus lambit beneficium ecclesiasticum, alius lambit pecunias pro beneficio, vnus lambit ordinem sacrum, alius lambit precium, quod exigitur, vnus lambit ingressum religionis, alius lambit emolumentum retributionis, vnus lambit absolutionem peccatorum, alius lambit augmentum denariorum, vnus lambit defensionem sue iniusticie uel erroris, alius lambit mercedem iniquitatis &c.*

Fol. 447. p. 2. *Sermo de passione Domini nostri Saluatoris. Exclamavit voce magna et dixit, Domine Deus &c.* *Dan. 13.* Initium: *Secundum Augustinum ad patientem pro nobis debemus aspicere &c.* Inducitur per totum *Mater Christi* passionem *Filii* enarrans. Nil igitur *Rerum conciliarium.*

Fol. 461. p. 2. *Sermo, ut in calce, Episcopi thlonensis. Lege Vitalis Toloniensis seu Telonis Martii in Provincia.* Notat hunc Sermonem de *Epiphania Hardtii* e *Cod. mf. Prolegom. T. V. p. 26.* non tamen excerptit. Thema: *Magi invenerunt puerum &c. Math. 2.* Initium: *Ex his verbis elicitur infertur et deducitur transformatio mirabilis &c.* Neque hic aliquid ad *Concilii Historiam.*

Fol.

Fol. 469. p. 2. Sermo de corpore christi per Episcopum firmatum Johannem, ut Cod. in principio cit. Caro mea vere est cibus &c.

Fol. 476. p. 2. fine inscriptione Sermo, cujus Thema: Domine, ego seruus tuus sum. Ps. CXV. Est Manfredi de Cruce Abb. et Oratoris Philippi Mar. Ducis Mediol. coram Imp. Sigismundo, ut alias relatus et obuius apud Herm. v. d. Hardt T. V. p. 109. et Labb. T. XVI. col. 1307. Ad finem Codicis: Crematus Hus Hereticus sexta Julij Anno Domini M° CCCCXV.

DCCCCXXXVI.

U. 747 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 360. f. per duas columnas exaratus et rubricis distinctus frequentia ad Concilium Basileense completitur: I. Opus Reuerendissimi Cardinalis Panormitani (Nicolaï de Tudesco Siculi O. S. B.) de triplici Veritate Sacri Concilij Basilien. Editum et recitatum Francfordie coram Imperij et electorum eiusdem oratoribus quod sic feliciter incipit. Quoniam veritas verborum lenocinio non indiget, ideo quanto verbis simplicioribus proponitur tanto maiori claritate relucet &c. In calce tamen habetur: *Expliciunt ea que dedit in scriptis &c.* Quamvis utrumque facere potuit. Acta sunt haec a Viro in utroque Jure versatissimo et hinc Juris Lucerna dicto an. 1442. Itaque non coram Sigismundo Imp. ut hallucinatus est

Mansius T. IV. Supplem. Concill. col. 1416. qui de Tractatu hoc mire tricatur, Nicolaumque non ad veritatem, sed ad compendium suum pro animi affectu et fortunae aura scripsisse concludit. Triplicem illam Veritatem Autor porro e triplici Quaestione edicit: *Primo. An fuerit et an hodie sit in Civitate Basilien. Concilium generale Ecclesiam universalem legitime representans. Secundo. An ipsi Concilio generali eo posito affuerit facultas et potestas legitima prefatum quondam Eugenium suspendendi et deponendi et per consequens alium in sede apostolica surrogandi. Tertio. An cause propter quas depositus est fuerint iuste sufficientes et rationabiles.* Antequam vero haec pro Concilio et Amedeo seu Felice V. evincere conetur, origines Synodi Basil. inde a Martino V. enarrare instituit. Citat Tractatum Tritheimius in Scriptt. Eccl. n. 781. De Editionibus adi Caveum et Fabricium. Mihi adjacet Lugdunensis char. goth. f. a. 8.

II. fol. 61. p. 2. sequitur Tractatus Vniuersitatis Cracouiensis De auctoritate ecclesie et facultate et veritate Basilien. Concilij. Ad calcem dicitur editus Anno Domini M°. CCCC°. XLI°. Init Autem: *Deliberantibus nobis quid super instanti requisicione karissimorum virorum videlicet Marcij Bonifilij sacre pagine, Stanislai de Sobnyow prepositi Tridentini et Canonici Cracouien. in Artibus liberalibus Magistrorum, Derstaij de Borssynow Decretorum Doctoris*